



Comitatus Hollandiæ nova descriptio, ex optimis & novißimis delineationibus designata

Kaart van Holland, Johannes Janssonius, 1647

<https://hdl.handle.net/1874/20443>

HOLLANDIA

MARE GERMANICUM,
vulgo
DE NOORD ZEE.



COMITATUS
HOLLANDIAE
Nova Descriptio.
Ex
Optimis & novissimis
Delineationibus
designata.
Amstelodami, Apud Joannem Janssonium

Milliaria Germanica communia

Hol-49

K 55.1

metropolis Puttje, jam collapsa & neglecta. Tertie partis, Voornia nimirum, caput est Briela, neque alia oppida habet, praeter hanc & Goeream, sed complures perpulchros pagos, & praeter ceteris Hollandiae partibus abundat arvis omnis generis frugum feracibus. Quarta pars, Kennemerlandiae & Westfrisiae, longe maxima est Hollandiae pars. Complectitur enim Kennemerlandiam, Amstelendam, Godelandiam, Waterlandiam, & Insulas Texeliam, Vlieringam, Vlielandiam & Geryndam. Sub ea comprehenduntur nobilis & pulchra urbs Harlemum, Kennemerlandie caput, quae secundum suffragium in conventu Ordinum Hollandiae obtinet: potens & opulenta civitas Amstelodamum, Amstelendiae caput: Almaria, prima Westfrisiae urbs: Horna, Enckhufa, Medenbliecum, Edamum, Monachodamum, Purmerenda: & Godelandiae oppida, Nardenum, Muda & Wesfopum.

Ante Comitum tempora, quae Republicae hic facies fuerit, difficile est explicatu, ignorantia temporum & scriptorum, publicorumque monumentorum inopia. Fit quidem tunc mentio Graviorum, & Grafionum Flardingae, & aliorum locorum, sed hi non toti genti, sed partibus praefuerunt, neque ante Didericum quicumque prodiit, qui toti Republicae praefuerit. Primum vero Comitum Diderici primi & secundi tempora, quibus & principatum adepti fuerit & eundem administrarunt, non satis certa sunt. Porro Comites Hollandiae nulli vicino Principi, ac ne quidem Romano Imperio obnoxii fuerit, Imperii Germanici leges nunquam acceperunt, ideoque nec cauae aut Comitum aut Ordinum a Germanico Senatu dijudicatae fuerunt. Vasallos quoque se esse Imperatorum negarunt, uti patet ex historia bellorum, quae primi Comites & nominatim Didericus IV pro tuenda dignitate contra Imperatores prospera satis fortuna gesserit. Quod si qui adducti necessitate temporum, aut propriis de causis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocarunt: id tamen ipsum Ordinibus non consentientibus factum, nec reipublicae nec posterorum principum jus deterius potuit efficere. Burgundos certe & Austriacos principes, quorum certior memoria est, compertum satis habemus Casaribus fidem pro Hollandia non dedisse. Potestatem vero quam habuerunt Comites, eam legibus definitam, & Ordinum consultis temperatam habuerunt. Licet autem inopia scriptorum & publicarum tabularum non possit liquido demonstrari, quae primis illis temporibus Principis, quae Ordinum partes fuerint: amplissimas tamen Ordinum partes tum fuisse, ex eo liquet, quod postquam a domo Burgundica & Austriaca plus detritum quam additum fuit libertati, satis amplae remanserunt. Leges autem Imperii praecipue haec fuerunt: Ne maritum sibi accipiat femina princeps, nisi Ordinum Hollandiae arbitrato: Ne munera Senatoria, Quaestoria, Praetoria, aliis quam indigenis mandentur: Ut jus sit Ordinibus in concilio coire, quoties & ubicunque voluerint, nec opus habeant eam ad rem Principis venia: Nova vestigalia ne quae imponantur, neu cui vestigialium detur immunitas, nisi Ordines auctores fuerint: Bellum suscipere, pro rebus tutandis aut persequendis injuriis, Principi ne liceat, nisi Ordinum arbitrio: Principes in literis Germanico sermone utantur: Monetam Princeps cudat, & mutet, prout Ordines esse judicaverint: Ne quam Principatus partem Princeps a se possit abdicare: Ne Ordinum Concilium extra fines liceat evocare: Princeps si quo tributo aut collecta opus habeat, ipse ab Ordinibus exoret: per Legatum id ne agat: onera, nisi sponte concessa, ne exigat: Jurisdictio nisi per ordinarios Judices ne exercentur: Mores antiqui, legesque sanctae sint: Eas contra si quid Princeps deare verit, nemo decreto teneatur. In has leges Comites Hollandiae, priusquam ab Ordinibus tales agnoscerentur, jurare tenebantur. Unde apparet Imperium Comitibus non sine exceptionibus datum, & summam semper Ordinum fuisse auctoritatem. Tenuit haec regiminis facies per aliquot secula. Primi Burgundi aliquid de libertate deterrere ceperunt, sed parce: Carolus deinde Imperator apertius & validius, at maxime Philippus XI Caroli filius, unde miserrima rerum facies consecuta est. Quippe pro libertate Ordines anno 1572 bellum adversus Philippum decernerunt, Guilielmum Arafusionensem Principem ducem eligunt: Tandem

De Hollandiae veteri regimine.

anno 1581, 26 Julii, tam Hollandiae, quam Federatorum populorum Ordines pronunciarunt, Philippum, ob violatas imperii leges, Principatu excidisse. Praefuit interim Gubernatoris titulo Guilielmus, & post hunc Mauritius Guilielmi filius, cui jam uti bonorum ita & virtutum haeres successit Frideric. Henricus. Porro post imperium Philippo abdicatum, quicquid est juris publici, ab Ordinibus gubernatur vel univrsim per se, vel singulatim per alios. Per se quidem coactis publicis Comitibus. Ea constant duobus membris, Nobilibus, & Civitatum delegatis. Nobilium Ordinem referunt generis splendore & vicorum ditione praecipui, numero ferme duodecim, quorum ubi quis excesserit, alium ipsi in locum defuncti cooptant. Inter Nobiles primum locum obtinent Brederodii. Ex hac classe in Comitibus publicis sistere se consuevit vario numero, nunquam tamen pauciores tribus, qui conjunctim unum tantum habent suffragium, sed primum. Civitates, quae Legatos suos solent mittere, sunt: Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amstelodamum, Gouda, Roterodamum, Gorichemum, Schiedamum, Schoonhovia, Brila, Almaria, Horna, Enckhufa, Edamum, Monachodamum, Medenblaea, Purmerenda. Penes hunc Confessum summa est Hollandiae potestas.

At praeter hunc, alius est Confessus deputatorum, qui perpetuo Hagae residet, & quando prior ille Conventus major non habetur, illum quasi representat, Ordinum conventum majorem convocat, articulos, de quibus deliberandum est, mittit, &c. Duo insuper sunt Collegia Rationalium. Unum Vetus anno 1446 a Philippo Burgundo institutum, penes quod est directio, inspectio & administratio patrimonii publici, & eorum, quae eo pertinent. Vulgo vocatur De Kamer van Reekeninge. Alterum haud ita antiquum, quippe bellicis haec temporibus natum: in quo examinantur rationes omnes communium tributorum & vestigialium hujus provinciae, itemque eorum, quae extra ordinem ex decreto Ill. Ord. Hollandiae & Westfrisiae exiguntur a subditis: praeterea bonorum Ecclesiasticorum, & apparatus bellicorum, denique universitatis Leydenensis, &c.

Est & quoddam commune juris dicendi tribunal, Curia Incuria, quod Curiam Hollandiae dicimus, cujus caput est Praefectus provinciae; ad quam a ceteris particularium locorum tribunalibus provocatur. Hic ipsa quoque urbium controversiae, aliaque magno momenti disceptantur. In hac sedent veteri instituto viri nobiles, alique legum & morum periti, atque I. V. doctores, numero duodecim, quorum unus est Praefes cum Graphiario & Secretario. Eliguntur ab Ordinibus Hollandiae & Zelandiae (nam & de Zelandorum causis cognoscit) hoc ordine, ut Hollandia nominet duos Praefides successives, Zelandia deinde unum. Ex iudicium autem numero Zelandi tres allegant, Hollandi ceteros. Ab hac Curia ad Mechliniense auditorium appellationes institui solebant: quod ut in commune sibi jus diceret, rogatu Principum Burgundorum, diversarum nationum ordines consenserunt. Ejus in locum Hollandi & Zelandi (anni jam sunt quadraginta septem aut circiter,) novum Confessum viro- rum doctrina ac prudentia eminentium instituerunt, Supremum Senatum vocant. Ab hujus sententia appellatio non datur. Supplicari tantum D. D. Ordinibus solet, ut lectos extra ordinem iudices ad Collegium adjungant, qui diligenter exquirant, rectene, an per errorem sit iudicatum: Revisionem ejusmodi actum vocant.

Praeter oppida xxxi, mœnibus fossisque clausa, aliquot praesidia, nec postremae sortis exstant in Hollandia municipia, a Principibus suis singularibus dotata privilegiis, inter quae principum locum facile tuetur Haga Comitum, Principis, & Curiae sedes: Vlieringa, Graevessanda, Bevervoicum, Neoportum, Scaga, his adde Sevenbergam in solo quidem Brabantico sita, juris tamen Hollandici, quae quondam muris fuit cincta: item Clunderam, quae & ipsa quondam municipium fuit, quam vallo cinxit Princeps Auriacus. Ad Borealem Hollandiam pertinent aliquot Insulae, quarum maxima est Texela, secunda Flielandia, tertia Scbellinga, Oceano obiectae. Interius sunt, Vlieringa, Vreck, & Ens.

Habet insuper Hollandia Australis alias Insulas, Vornam, Goedereda, Over Flacke, sive Trans Flackaana, Corendicam, Pierschilla, etiam Territorium Transjomanum, Der Handt van Overmaes, Roterodamo & Schiedamo obiectum.

De nomine Hollandiae.



ATA VIAE nomen vetus est, Hollandiae recens. Illius nomine veniebat omnis ille terrarum tractus, qui continebatur inter utrumque cornu Rheni, & Oceanum. Ita ut praeter Hollandiam etiam complecteretur ditionem Ultrajectinam & Septentrionalem partem Ducatus Gelriae. Retinet hodie priscum vocabulum inter Culenburgum, Buram, & Tilam, oppida Gelriae, ubi hodie nobilis illa insula Batavorum de Betwove vocatur. Unde autem natum recens Hollandiae nomen, varia sunt doctorum sententiae. Nonnulli Hollandiam, sive Houslandiam prius dictam contendunt, id est, lignorum terram. Volunt enim silvis atque arboribusque densam fuisse, & hinc molliore pronuntiatione Hollandiam dictam. Alii vocem compositam esse ajunt de duabus hisce Teuronicis vocibus, Hol, quod est cavum, & land, id est, terra, quasi concavam terram dixerit. Plurima enim loca sunt, per quae si curru aut equo veharis, ipsam terram tremere sentias ac concuti, non aliter, ac si aquis supernataret. Scribit Iacobus Meyerus Annalium Flardingae auctor libr. XI, Verumtamen constat hanc appellationem admodum esse recentem. Nym Hermannus Contractus, qui scripsit ad annum Domini 1066. in fine, ubi de Theodorico Marchione quarto ejus nominis pluribus locis fit mentio, nusquam Hollandiam nominat, sed ubique Flardingam. Ab eo patet opido, quod hodie haud procul Oceano nominatur Vlardingen. Quod Gerardus Norviomagus vetustissimum esse asserit, vocatque Vlardingam, & Vlardingiacum. Flardingam autem non pro oppido solum, sed pro ipsa regione ponit Contractus. Haec tamen ille. A Septentrione & Occasu clauditur mari: a Meridie Mosam habet & Brabantiam: ab Ortu partim est lacus Flevus vulgo de Zuiderzee, partim Ducatus Gelriae. Sic ut peninsulam, non autem, ut quidam dicunt, Insulam Batavorum efficiat. Regionis ambitum ad 60 miliaria extendi voluit: Longitudo ejus magna secundum oram maritimam, inde ab Insula Scellinga ad Septentrionem, ad Scaldiam Zelandiae insularum unam. Latitudo perexigua est, & nusquam fere septem octove miliaribus major. quandoquidem est medietas illius creditur viatori triu horarum spacio hinc ad Oceanum, illinc ad extremos illius fines patere aditus. Ex quo aestimari potest, Hollandiam a reliquo Batavię veteris corpore deductam, longe tenui aut litui incurvi facie pre se ferre. Irrigatur maximis fluviijs, Rheno & Mosam, qui, compluribus velut ramis & cornibus, alia passim atque alia adificentibus nominata, eam pererrant. Quibus incolae tamen non contenti, maximam ipsi naturae artem atque industriam adjecerunt, ductis passim tot alveis, canalibus, incilibus fossis, aliisque id genus aquagijs, ut non omnia oppida, sed & pagi plerique terra simul & aqua commode adiri possint. Regio ipsa palustris, & stagnis, lacubus passim referta, e quibus non ita pridem Beemstrijus & Purmerendanus exiccati, ac pulcherrimis villis insignes, amenissimos Amstelodamensium potissimum mercatoribus recessus praebent. Coelum, non obstante ingenti aquarum copia, & maris vicinitate, benignum apprime & clemens. Solum adeo humile & depressum, ut omnia pene flumina, omnesque majores & reciprocum maris aestum admittentes fossae, ne videlicet ipsam terram inundent, aggeribus clausa sint, unde multis in locis videas aquas non sine ingenti admiratione longe, quam terra sit, altiores. Vinum non fert, quo tamen aliunde invento abundat. Lanarum non magna copia, & tamen infiniti hic ex lanis exoticis texuntur panni. Materiam architectis non suppeditat, & plures tamen in ea exstruuntur naves, plures ligni aggeres, aliaque id genus opera, quam in reliqua omni pene dicam Europa. Atque haec quidem miracula Hollandiae eleganti carmine complexus est Iosephus Scaliger ad Ianum Doufam:

Termini.

Ambitus.

Flumina.

Regio indole.

Ignorata tua referam miracula terrae,
Doufa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium lassat rextina Minerva,
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestras
Nulla fabris tamen haec ligna ministrat humus.
Horrea triticea rumpunt hic frugis aceruis
Pascuis hic tamen est, non Cerealis, ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis,
Que vinet a colat, nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe seges est rarissima lini,
Lini fici tamen est copia major ubi?
Hic medijs habitamus aquis, quis credere possit?
Et tamen hic nulle, Doufa, bibuntur aquae.

Habet porro haec regio agros frugiferos quoque, & quidem luxurioso & opimo frumento supra modum fecundis (tritico praesertim excellentiori in agro Rhenoburgico prope Lugdunum Batavorum) sed qui tantillo in spacio, & in regione, qua non aliam habitatoribus frequentiore usquam invenias, ad suppeditandam tantae multitudini alimoniam sint impares. Pascuis autem, praecipue in parte boreali, nulli Belgicae parti cedit. Hinc praecipui proventus existunt. Siquidem e caeso & buryto, quae exportantur in externa loca, in singulos annos ducenties sestertium cogi putatur, quae summa ad decies centena Carolorum millia extenditur. Praeter ea, quae in quotidianum alimentum cedunt. Cuniculorum innumeram multitudinem passim alit regio, in collibus arenariis, qui mari objacent. Cervorum etiam & damarum toto illo collium tractu & vicinarum vallium nonnulla copia est. Quid dicam de equis, quos generosiores, praestantes, torolos, sed succulatores plerumque ea pars Hollandiae producit, quam Westfrisiam vocant: Australior quoque pars lacertosos & optimos. Avium palustrium, praesertim anatum, captura nusquam copiosior, instituta ad id quaestuosius admodum aviariis, in qua illic aves manifestae feras pellicium primo, eas dein catulus pendente in cauda fasce stramineo circumcurfando, propius in retia invitatur, strepitumque tunc a tergo edente aucupe in angusta cavea propelluntur, & capiuntur. Piscium amnicorum copiam stagna, lacus, paludes, fluvii suppeditant: marinorum incredibilem vim vicinum undequaque mare. Lignorum quidem hic inopia est, sed fossilibus & ustibilibus cespitis abundantia summa, qui e terra fodinis eructus, aut ex ipsis aquis haustus, sole & vento exiccatus igni alimentum durabile praebet. Hoc aenigmati suo involvit V. C. Caspar Barlaeus:

Dic, quibus in terris pereunt tot rura colonie?
Ipsaque concepto fomite flagrat humus?
Et mox effossi vectantur navibus agri,
Najadesque natant nunc, ubi vestigia stetit?

Dividitur Comitatus Hollandiae accuratissima divisione, quam archiva Camerae Rationalium habent, in quatuor partes. Quarum prima appellatur Septentrionalis Hollandia: Secunda Meridionalis: Tertia Voornia, ma & veterum quondam proprios dominos agnovit, quarta Kennemerlandia, atque Occidentalis Frisia, quae vulgo perperam Septentrionalis Hollandia vocatur, quia ad Septentrionem Hollandiae posita est. Sub parte prima comprehenduntur praefecturae aquaticae (vulgo Waterstappen) sive Dyckgraviatus Rhenolandiae, Delflandiae, & Schielandiae, atque adeo VVordena. Oppida illius sunt, Delfi, Lugdunum Batavorum, Gouda, Roterodamum, Schiedamum, Oude watera, Wordena, &c, ut quidam asserunt, antiquissimum Hollandiae oppidum Vlardinga, & amenissimum municipium Haga Comitum. Sub secunda parte comprehenduntur Durrrechtum, antiquissima illius Hollandiae partis metropolis, quae primum sibi suffragium vendicet inter omnia Hollandiae oppida in Conventu Ordinum hujus provinciae: Gorichemum, VVorichemum, Schoonhovia, Heusden, & Geerolietum metro-

Vide eius aenigmata.

Diviso Hollandiae antiquissimalis.

BELGICA.

EE